Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 773
Quelle:
Copyright:

Hec quoque ſymphoſius de carmine luſit inepto
Sic tu ſexte doces, ſic te deliro magiſtro;

quos quis a Sciolo quodam praefixos credere poſſit, cum eos in Cod. *Cormoeriaceno* non invenerit *Perionius*, ſalvoque ſenſu abeſſe queant. Jam quod in commune conſulat Codex noſter, exiguum eſt; mendis enim ſcatet, et VIII. *Aenigmatibus* infra C. eſt. Sunt autem haec: *Grus. Tbus. Myrrha. Mola. Calx. Scopa. Conditum. Olla.* Quod *Pariſinis* n. 72. *Follis* et n. 73. *Lapis*, nobis prave inſcribitur *Uter* et *Navis*. Interim malim tamen in *Praef.* noſtrum: *de nomine nugas*, prae *de carmine nugas*. Aenigm. 1. *diverſo et munere*, prae *diverſa et munera*. Aenigm. 2. *digitis ſignata magiſtris*, prae *miniſtris* &c.

IX. *fol.* 55. Scripta quaedam *Petri Luder de Kislau*, quod eſt Provinciae *Spirenſis* Oppidum, et quidem 1) *Oratio habita coram tota vniuerſitate almi ſtudij Haydelbergen. Idus iulij* 1458. &c. Incipit: *Poſtea uero quam ab infancia pene, Rector &c. Inquam enim poſtea quam ab Infancia pene duris ſub preceptoribus rudia artis grammatice elementa inbibiſſem, et in hac noſtra achademia pro ingenioli mei paruitate optimis ſub arcium Doctoribus ſilogiſticas loyce innodaciones percepiſſem, adoleſcencie mens mee uaga errabundaque nec patrio contenta ſolo, alienos me mores loca atque flumina inuiſere ſtimulauit* &c. Itaque *Italia* tota, *Albania*, *Macedonia*que peragrata, *ingraueſcente etate et iam tempora ſparſa canis* habens Patriam repetiit *Heidelbergae* Hiſtoriographos, Rhetores et Poetas publice interpretaturus, cui muneri proluſit hac Oratione, quae argumento eſt, eum Antiquis lectitandis tempus in *Italia* utiliter triviſſe, facemque multis praetuliſſe in ſua *Germania*. Narrat inter alia, dum *Patavii ſuperioribus diebus Johannes Crydwiſs* (Kreideweiſs) *de Eſslingen* Univerſitatis Rector, quem apud *Papadopolum* non reperio, ſuum in utroque iure rigoroſum examen inſtituiſſet, exclamaſſe ad praeſentes Doctores celebrem ICtum *Antonium Roſellum: Vellem legibus poſthabitis hiſce me rebus omnem impendiſſe operam! O ſtudia humanitatis omnibus appetenda!* 2) *Intimacio Poete* (Luderi) *contra artiſtas In ſtudio haydelbergen.* 1457. Πρόγραμμα videlicet, quo invitat ad Orationem *de laudibus philoſophie hodie hora vndecima in ſtuba fratrum auguſtinen.* audiendam. Incipit: *Jam dudum princeps dyaletica atris accincta ſerpentibus firmiſſimum hic ſibi domicilium conſtituens Sorores alias extorres eſſe ac exulare permiſit.* Vides ſcintillam, quae deinceps in incendium et *Obſcurorum Virorum Epiſtolas* erupit. 3) *Laus friderici* (I. Victoriosi ✠ 1476) *Ducis Bauarie Co. palatini.* Initium Panegyrici: *Grandem quippe materiam et quidem ampliſſimam V. C. cum hodierna die infirmis me meis ſuſcepiſſe hume-*